

Alluat viridem hunc successum Viadrus,  
Ut , dum fœcundantur pascua,  
dum feliciter rigantur Campi,  
Tuis qvoqve rebus ea faveat Bonitas,  
qvæ Laurum referat ripis implantatam.

Cæterum

Audire nunc juvabit viridia ,  
donec Viriditatis Spectator  
testari queam sive lætitiam, sive gratulationem.  
Semper enim dulce est, virentibus Præceptoribus  
Laurum convertere in Smaragdos,

h. e.

Lætitiæ causas in preces,  
qvas qvidem offero  
puras, sinceras , indefessas ;  
Vel, si qvid valebit aliquando mea Viriditas,  
Tuis commodis destinatas.  
Ita nunc juvet, gratulari de Lauro:  
Olim juvabit esse gratulatum.

VALE ET VIRE.

